

oves onus imposuit, dum dixit: *Pasce oves meas*: quibus docendumus indidit dicendo: *Euntes docete omnes Gentes*, quos denique *posuit Spiritus Sanctus Episcopus regere Ecclesiam suam*. Iis ergo eam assistentiam præbet, quæ necessaria est ad intactam conservandam revelationem ideoque Ecclesiam sine errore. Sine hac enim assistentia rite consultum non esset conservationi Ecclesiae; eo vel magis, quod Christus hujusmodi Pastores audire, eisque obtemperare nos jubet: *Lucæ* enim 10. v. 16. ait Christus Apostolis, ac Pastoribus eorum successoribus: *Qui vos audit, me audit*; et ad *Hebræos* 13. v. 13. habetur: *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis*. Quis vero credat, voluisse Christum fideles suos astringere ad obtemperandum Pastoribus, qui credenda et agenda pro munere pastoritio traderent et inculcarent, quin hos ea voluerit assistentia fovere, quæ necessaria sit ne concreditas sibi oves decipiant! At hanc promisit per verba supra a nobis relata: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, et portæ inferi non prævalent adversus Ecclesiam*; et per ea quæ leguntur *Ephes.* 4. v. 11. *Dedit Pastores, et Doctores ad consummationem Sæculi in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*, hoc est Ecclesiae, *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni verbo doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Hac de causa ad *Timoth.* 3. v. 5 Ecclesia dicitur *Columna et firmamentum veritatis*, firma scilicet et stabilis, quæ errare et a fide deficere nequeat. Accedit etiam unanimitas Patrum et Conciliorum consensus, qui hanc semper, et ubique traditam Ecclesiae prærogativam affirmarunt, ut videre est apud supra citatos Auctores.

(82. Atque hinc facile patet, inerrantiæ donum Ecclesiae Pastoribus fuisse concessum. Iis enim necessarium est, qui pascere, qui docere, qui regere fideles debeant, et quibus fideles fidem habere, et obedire jubeantur. (83. Ii autem Pastores sunt, ut ex dictis liquet. Pastorum autem nomine veniunt Episcopi, ut constat tum ex illo Actorum loco, in quo Episcoporum fit mentio, qui positi sunt ad regendam Ecclesiam; tum ex perpetua et constanti Ecclesiae traditione; tum ex praxi Ecclesiae, in qua semper Episcopi tum seorsim, tum in Conciliis congregati, controversias fidei atque morum definiere, ut ex actis et historia Conciliorum constat. Episcopus vero jure divino presbyteris superiores esse, ac Presbyteros eodem jure a plebe secerni, contra Novatores ostendimus de Ecclesiastica Hierarchia, et de Presbyteris disputantes.

(84. Privilegium vero inerrantiæ non singulis Episcopis seorsim sumptis, sed eorum cœtui, qui cum Ecclesiae Capite Romano Pontifice uniti sunt, atque ab eodem pendent, concessum est; nam non solum retroactis temporibus plures Episcopi ab orthodoxa fide defecerunt, sed occurrunt etiam hæc nostra ætate ex Photianis, Nestorianis et Monophysitis Episcopi bene multi, qui in mani-

festis ab Ecclesia damnatis erroribus versantur. Hoc itaque privilegium iis competit, qui in vera Christi Ecclesia sunt per notas superius a nobis descriptas manifestata. Sunt autem in hac Ecclesia ii tantum Episcopi, qui cum Romano Pontifice communicant, atque ab ejus auctoritate, jurisdictione atque regimine pendent. Neque enim ad unam Christi Ecclesiam pertinere possunt, nisi illius capite uniti sint, potestate sustententur, auctoritate regantur. Quamobrem de fide est, inerrantiæ privilegium Ecclesiae illi concessum esse, in qua Plebs cum suis Pastoribus uni Romano Pontifici subsit, cujus suprema auctoritate omnes regantur. Neque ab hac sententia Gallorum Theologi dissident, qui, ut exponit Tournely de Ecclesia qu. 5. art. 2. aiunt, Ecclesiae claves, ad quas hujusmodi quoque privilegium refertur, « uni Petro, et unitati simul concessas esse, » hoc est Ecclesiae capiti una cum Episcopis cum eodem conjunctis, atque ab eodem pendentibus. Neque enim jure divino primatum honoris, et jurisdictionis haberet in tota Ecclesia supra alios quoque Episcopos, nisi ii ab eodem Pontifice penderent. Hinc « Leges, inquit citatus Auctor, ac Decreta Pontificis Romani in causis fidei et morum ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, ac Christianos omnes ex conscientia teneri ipsis obtemperare. Quamquam enim infallibilis non supponatur Romanus Pontifex, provisorie tamen ipsius Decretis, quæ apud omnes bonos maximi ponderis ac momenti esse debent, obsequendum est, saltem, ut ait Gerso, *ad non dogmatizandum contrarium* quamdiu Ecclesia non reclamât, nec contradicit. Non ita est de privatis Episcoporum Decretis, quibus si tantummodo sunt obstricti, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur. In controversiis fidei ac Religionis præcipuas esse Summi Pontificis partes; nec quidquam in Ecclesia magni momenti defini debere, quod ad ipsum non referatur. Quamquam enim non sit solus Judex controversiarum, est tamen inter judices primus dignitate et auctoritate, ad quem majores, ut vocant, Ecclesiae causæ referendæ sunt. Majores autem appellantur causæ, vel ex rei gravitate ac magnitudine, quales sunt, quæ fidem, religionem ac generalem spectant morum disciplinam; vel ex magnitudine subortæ difficultatis, aut dignitate personæ, ver. gr. cum agitur de Episcopis. » Ita ab anno 1682, in quo Galli per Cleri Convantum statuere quatuor de Romano Pontifice propositiones, de quibus aliis in Bibliothecæ locis agemus, de Romani Pontificis auctoritate et infallibilitate sentiunt. Illorum itaque sententia Decreta Romani Pontificis ad fidem pertinentia etsi maxima cum veneratione sunt in universa Ecclesia suscipienda, tamen dogma fidei ab omnibus credendum non constituunt, nisi expressus vel saltem tacitus Episcoporum consensus accedat: posita autem inter Episcopos dissensione, meliorem ac saniozem partem eam existimari oportere, ac Ecclesiam sufficienter representare, quæ Romano Pontifici con-

juncta sit, qui certum est unitatis, et Ecclesiasticæ communionis caput.

Itali vero, Hispani, ac Theologi reliqui affirmant Romanum Pontificem non solum primatum honoris et Jurisdictionis habere in Ecclesia, sed etiam infallibilem sibi vindicare in finiendis Religionis controversiis auctoritatem. Etsi hac de re disserendum ex professo est verb. *Romanus Pontifex*, tamen hic unum, vel alterum momentum, quo res ostendi queat, proferemus. Primum vero de primatu adversus Novatores et Schismaticos orientales, deinde vero de inerrantiæ privilegio eidem concessio dicemus. Conveniens fuit, ut Ecclesia, quæ ab Unigenito Dei Filio homine facta stabilita est, et in qua veluti supremus invisibilis Rex ipse præest, tanquam in Regno, *cujus non erit finis*, unus supremus Pastor esset, qui illius vice eandem regeret et administraret, et cui pro hac perpetuo servanda illius assistentia concederetur; præsertim cum Christus eam formatam exhibuerit, velut unum ovile, quod unius Pastoris auctoritate regeretur. At ad ita nobis exhibendam Christi Ecclesiam, conveniens fuit, ut inter ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei unus esset, qui Christi vices gereret, et qui supremus loco Christi Pastor visibilis esset; alioquin qua ratione visibilis ac conspicua Christi Ecclesia, unum ovile sub uno supremo Pastore exhiberetur? Sed non sola convenientia est, ex qua supremum in Ecclesia visibilem Principem atque Pastorem constitutum deducimus; Christus enim ipse hanc prærogativam Petro ejusque Successoribus contulit, ut constat I. ex Christi verbis; II. ex aliis eidem Petro concessis prærogativis; III. ex iis, quæ Petrus ipse gessit; IV. denique ex perpetua ac constanti Patrum omnium sæculorum traditione. Christus enim Matthæi 16. clare se Ecclesiam suam supra Petrum fundaturum promisit, eique claves Regni Cælorum concessurum; et Joannis 21. agnorum, oviumque suarum curam eidem commisit: *Ego, inquit Christus apud Matthæum, dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalent adversus eam, et tibi dabo claves Regni Cælorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cælis*. Apud Joannem vero semel atque iterum dixit: *Pasce agnos meos*, tertium vero: *Pasce oves meas*. Ex iis vero facile constat, Petrum designatum et constitutum a Christo fuisse totius Ecclesiae suæ Caput, Principem atque Rectorem. Nam is, qui Ecclesiam sustentat, cui claves traduntur, atque ligandi solvendique potestas, et cui agnorum oviumque Christi cura concredita sit, Ecclesiae Caput, Princeps ac supremus Pastor constitutus est. Non alia enim ratione Ecclesiam sustentare dicitur, quam instar capitis et Principis regendo; et aliunde ex ipsa Scripturarum phrasi potestas clavium supremam potestatem exprimit, ut videre est *Isaiæ* 22. eandemque potestatem exprimit allegoria Pasto-

ris, ovium agnorumque curam habentis, ut videre est *II Reg. 5. et II Paralip. 5. 11*. At si Petrus is est, supra quem Christus Ecclesiam suam fundatam voluit, est pœcul dubio Ecclesiae fundamentum; si Ecclesiae fundamentum est, eam ergo sustentat ac regit. Cum vero pro regenda Ecclesia, clavium, atque ligandi solvendique potestas concessa eidem fuerit, quæ supremi Principis auctoritatem designat in Scripturis sanctis; et cum Pastor omnium Christi ovium designetur, qua etiam allegoria suprema illa potestas exprimitur, manifestum est, Petrum a Christo Domino Ecclesiae suæ Caput, Principem atque Rectorem supremum constitutum fuisse.

Neque reponant Novatores atque Schismatici, petra nomine Christum, non Petri personam, sed vel semetipsum, vel factam per Petrum professionem designasse. Nam Matthæus non Græca, sed Hebraica, aut Chaldaica, aut Syriaca lingua scripsit, quibus in linguis ista generis differentia, quæ in Græca et Latina est inter Petrum et petram, non reperitur, sed uno nomine sive Hebraico, sive Syriaco Christus dixit: *Tu es Cephas*, id est, *petra*, et *super hanc petram*, etc., quemadmodum si latine Petrus, non Petrus, sed *petra* diceretur. Si vero quæras, cur Latinus Interpres non vertit: *Tu es petra, et super hanc petram*, etc., facilis est responsio: quia Græcum Codicem sequutus est. Non enim vertit ex Syriaco, sed ex Græco, in quo legitur *ὁ εἶ πέτρος, Tu es Petrus*. Cum vero Græcus non verterit *ὁ εἶ πέτρα, Tu es petra*, sed *Tu es Petrus*, in causa est, ait hic Bellarminus, quoniam, cum apud Græcos, tam *πέτρος*, quam *πέτρα* significet lapidem, visum est interpreti commodius homini nomen masculinum, quam femininum tribuere. Rursus postquam Christus dixit *super hanc petram*, etc., statim subneclit; *et tibi dabo claves*, etc. Hic vero de Petri persona loqui nemo dubitat; quis vero dubitabit, num de Petro locutus sit dum dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc.? Deinde licet nonnulli Patres per *petram* intellexerint vel confessionem Petri, vel ipsum Christum, vel etiam alios Apostolos et fideles; tamen nullus Petri personam exclusit. Imo eam expresse designari tradiderunt Tertul. lib. de *Præscript.* c. 21. Orig. homil. 5. in *Exod.* S. Cypr. *Epist. ad Jubaianum*, et lib. de *Unitat. Eccles.* Firmil. *Epist. ad Cypr.* S. Epiph. in *Ancorato*, Greg. Nazian. orat. de *Moderat.*, in *disputat. de moderat. servanda*; S. Basilius homil. de *Pœnit.* Ambr. serm. 57. de *fide Petri*, Hilar. cap. 16. *Matth.* Hieron. *Epist. 57. ad Damas.* Accedit etiam, Patres illos, qui *petra* nomine vel Christum vel confessionem, etc., designari tradiderunt, non exclusisse personam Petri, quæ caput Ecclesiae per illa verba constitueretur; sed indicare voluisse vel princeps Ecclesiae fundamentum quod est Christus, vel causam meritoriam istius Petri primatus, quæ fuit facta a Petro confesso, vel denique partes, ex quibus coalesceret, et constructa esset Ecclesia, ut allegorice exposuit Origenes, quam ob rem ex hujusmodi Patrum

interpretationibus nihil adversus Petri primatum eruitur.

Præterea ex constanti omnium Patrum traditione constat, Petrum fuisse Ecclesie Principem constitutum. Nam Origenes homil. 2. de Diversis eum vocat « summam Apostolorum verticem, » et in cap. 6. *Epist. ad Rom.* ait: « Summam rerum de pascendis ovibus Petro traditam fuisse, et super ipsum Ecclesiam fundatam; » Eusebius lib. 2. *Hist.* cap. 14. eum « reliquorum omnium Principem et Patronum; » atque ita eum vocat Cyrillus *Cathec.* 2 et 11. A Basilio « omnibus discipulis Prælatum; » a Greg. Naz. « Petra supra quam fundata est Ecclesia; » a Cyrillo Alexand. « Caput et Princeps cæterorum; » a Chrysost. « Ecclesie Pastor et caput, ac princeps ac vertex Apostolorum » dicitur. Ex latinis Patribus, similia habent Tertul. Cyprian. Optatus Milevitanus lib. 2. *contra Parmenianum*, Ambr. Augustin. et alii, qui legi possunt apud Bellarminum, Cocceium, Tournely, Orsi, atque alios.

Cum Christus Ecclesiam suam perpetuam esse voluerit, manifestum est, collata Petro privilegia ad ipsius quoque successores pertinere voluisse. Sunt vero Successores Petri Romani Pontifices, qui Cathedram tenent, in qua ipse mortuus est. Ii enim vere ipsius successores dicuntur, atque eodem jure, quo Petro concessa fuit regenda universæ Ecclesie, auctoritatem habent: Quod quidem non solum ex ipsa successione, sed etiam ex perpetua atque constanti Ecclesiarum omnium traditione constat. Nam in omnibus Conciliis, et ab omnibus Patribus cum Græcis, tum Latinis Romani Pontifices habiti semper sunt veluti legitimi Petri successores, atque iis donati prærogativis, quæ pro universa regenda Ecclesia, a Christo Petro concessæ fuerant. Conciliorum et Patrum auctoritates videri possunt apud supra citatos Auctores, atque horum nonnullæ afferuntur etiam in hac Bibliotheca verb. *Romanus Pontifex*.

Inter has vero prærogativas inerrantiæ donum, sive infallibilitatem reperiri, hic indicabimus, cum fusius tractandum id sit proprio in loco. Si Petri successores locum Christi tenent in terris, ac veluti ipsius Vicarii Ecclesiam regere debent, habeant necesse est quidquid ad rite regendam Ecclesiam, et ad intactam servandam Religionem necessarium est. Neque enim Deus vult finem quin media ad hunc necessaria suppeditet. Ad rite vero regendam Ecclesiam, atque ad sartum tectum servandum depositum divinæ revelationis, necessaria assistentia illa divina est, qua ab errore immunis reddetur; alioquin decipere Christi oves posset Romanus Pontifex, quæ ipsum audire, ejusque sententiam sequi jubentur. At hæc assistentia in Petri persona ejus succes-

(1) Quæ ad Gallicanam a. 1682 declarationem spectant, jure expendit Zaccaria in utroque Antifabronio: quo cum tamen conferendum omnino velim Cl. Soardi insigne opus Avenione 1747, Tomis duobus editum, inscriptumque: *De suprema R. P. au-*

soribus promissa revera a Christo fuit. Nullus enim Gallorum Theologorum est, qui non agnoscat, per illa Christi verba: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, hoc est adversus Ecclesiam, inerrantiæ donum designari Ecclesie Christi concessum. Donum vero hujusmodi Petro collatum fuit, ut ex Christi verbis liquet: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*. Deinde quid expressius ad significandum inerrantiæ donum, quam verba illa Christi Domini: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos?* Hæc enim aperte significant promissam Petro veluti Christi Ecclesie Rectori assistentiam illam, ob quam deficere in fide non posset; Nam Petro pro quo rogaverat Christus præcipitur ut fratres, hoc est, Episcopos confirmet. Id vero innuit, non veluti privatæ personæ, sed tamquam totius Ecclesie Rectori obtentum fuisse Petro a Christo privilegium illud (1).

Reliqua ad perfectum Ecclesie systema pertinentia, atque ad ipsius regiminis formam exponuntur in aliis articulis. Definitionem Ecclesie vide in art. 1.

ARTICULUS VII.

Ecclesia materialis quoad ejus antiquitatem.

Ex editione Cassinensi.

(1. Licet Ecclesie nomine conventus seu cœtus fidelium proprie venit, tamen omnium consensu traductum est ad significandum locum ipsum materiale ubi Christiani conventus suos agunt. De origine Ecclesiarum materialium paululum investigare nobis est animus. Quærimus autem duo: primum est quo tempore cœperunt Christiani loca ad cultum divinum destinata habere? alterum est: quando Ecclesie publicæ esse cœperunt penes Christi fideles?

(2. Quamvis affirmari non possumus Apostolos initio habuisse Ecclesias, sicut eorum discipuli postea erexerunt, pro certo et explorato tamen habemus jam inde ab Apostolorum ætate Christianis certa et determinata fuisse loca, ad quæ conveniebant ad res sacras et divinas agendas. Quæ quidem loca postea Ecclesie primum appellata sunt. Resane vera narrat Sanctus Lucas, libro *Actuum* (Cap. 1. v. 13) Apostolos de Monte Oliveti in Jerusalem reversos cum aliis bene multis in locum superiorem (in versione græca *ὑπερώου* in latina vulgata versione Cœnaculum dictus) ubi erant in oratione perseverantes. Porro iste locus superior esse debuit omnibus notus; aliter nomine generali non vocaretur a S. Luca. Insuper quomodo sciri potuit quo in loco fieret conventus nisi locus esset determinatus et fixus? Item S. Lucas (cap. 2, 1) ibidem refert: « Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter in eodem loco. » Ergo ab ini-

ciortate hodiernæ Ecclesie Gallicanæ doctrina, uti et posthunc Galli Anonymi libellum, a 1768 vulgatum hoc titulo: *Examen du quatrième article de la déclaration du Clergé de France.* (EDIT. BARBIELL.)

tio Christianis locus fuit determinatus ad divinum cultum peragendum. Idem confirmari potest ex S. Paulo, qui ad *Corinthios* scribens ait: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Quo in loco apprime distinguit inter Domus particulares et locum ubi conventus fiebant. Ergo loca ubi Christiani conventus agebant, erant ab omnibus aliis locis distincta; et per consequens Christianis initio loca, ubi convenientes res divinas agerent, fuisse distincta.

Hinc inferri licet quanto a veritate aberrant ii qui dicunt Christianos tribus prioribus sæculis istiusmodi distincta cultus divini loca non habuisse.

Ex secundo sæculo testem pro Ecclesiis appello Ignatium Apostolicum ad Magnesianos scribentem: « Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite. » Simpliciter, non dicit Ignatius, templum, quia tunc temporis *templi* nomine, veniret templum gentilium; sed dicit Dei templum, non deorum templum. Accedit testimonium Clement. Alexandrini de Ecclesia loquentis, « Non jam, ait, *Strom.* VII. locum sed Congregationem electorum Ecclesiam voco. » Ex quibus apparet sæculo Ecclesie secundo, nomine Ecclesie venire etiam loca ubi conventus agebant Christiani.

Ex tertio sæculo testem appello Tertullianum (*de Idol.* cap. 7): « Ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire. » Et de Coron. Milit. cap. 3. idem Tertullianus distinguit Ecclesiam inter et Baptisterium: « Aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo et pompæ et angelis ejus. » Accedit Lampridii in Vita Alexandri Severi auctoritas scribentis: « Cum Christiani quemdam locum, qui *publicus* erat, occupassent, et contra popinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit imperator, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur cap. 49. »

(3. Ex hoc Lampridii loco non solum Ecclesias habuisse Christianos eo tempore, verum etiam eas fuisse publicas, certum et exploratum est. Namque Lampridius loquitur de templo vel loco publico ad colendum verum Deum destinatum, de loco non solum Christianis sed paganis quoque cognito. Sed utrum fuerat publica prima Ecclesia quam habuerunt Christiani an non, affirmare non audeo. Ita quidem putat Cardinalis Orsius *Hist. Eccl.* lib. 6. § 23.

Hinc falsum est Christianos non habuisse Ecclesias publicas ante Constantinum Magnum. Sane Origenes in *Matth. Tract.* 28: « Scimus, inquit, et apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, et factas fuisse quasdam ruinas, ita ut qui erant impii extra fidem causam terræ motus dicerent Christianos, propter quod et persecutiones passæ sunt Ecclesie et incensæ sunt. » Quomodo incendi potuere Ecclesie, nisi notæ et publicæ essent? Idemque Arnobius (lib. 4. *Adversus Gentes*): « Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter

conventicula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus...? » Lactantius quoque supponit suo tempore Christianis fuisse publicas Ecclesias: « Ego, inquit, (lib. 5.) cum in Bithynia oratorias litteras docerem, contigissetque, ut eodem tempore Dei templum everteretur. » Et de Phrygia loquens idem Lactantius, hæc scribit: « Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum et cum ipso pariter conventicula concremavit. » Et Auctor libri de *Mort. Persecut.* cap. 13: « Constantius, ait, ne dissentire videretur a majoribus præceptis, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolome servavit. »

Optatus Milevitanus lib. 2. affirmat Romæ extare quadraginta Basilicas ante persecutionem Diocletianam. Eusebius vero lib. 8. cap. 2. de eadem loquens persecutione ait, proposita fuisse ubique imperialia edicta, quibus Ecclesie quidem ad solum usque dirui, sacri vero codices flammis absumi jubebantur. Et lib. 7. cap. 13. refert Imperatoris Gallieni edictum quo præcipitur « ut cuncti a religiosis locis (id est Ecclesiis) abscedant. » De tempore vero loquens quod a Valeriana ad Diocletianam effluxit persecutionem, « Quis, inquit, innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris cumulate possit describere? factum est ut prisca ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias. » Idem testatur Theodoretus lib. 5. cap. 15. quem vide.

Nisi me mea fallit opinio, talia sunt allata documenta, ut probent Christianos per totum imperium Romanum habuisse Ecclesias et quidem publicas ante ultimam persecutionem; et per consequens ante Constantinum.

(4. Sed veniamus modo ad ea quæ contra hactenus dicta afferuntur tum ex Origenes, Minucio, Arnobio, tum ex Lactantio. Origenes enim disputans contra Celsum lib. 8. n. 17. videtur negare Christianos ulla habere Ecclesias; sed ita res non se habet, uti ex verbis Origenis patet: « Post hæc, ait Celsus, nos ab altaribus, statuis, templis erigendis abstinere... » Quibus reponit Origenes, nulla esse templa penes Christianos, in quibus Divinitas concluderetur, ubi animalia immolarentur, et thus simulacris adolerent. Porro nos attulimus alia loca Origenis ubi pro certo dicit Christianos habere Ecclesias.

Cæcilius apud Minucium idem objicit quod Celsus: « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? » cui Octavianus: « Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit?... Nonne melius in nostra